



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacræ  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disputat. XXI. De mutuâ Prioritate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)



sunt à se invicem omnino quoad influxum independentia, sese tamen naturali quadam consequentia comitantur, ut relationes paternitatis & filiationis.

ad quem producendum simul concurrunt. Imò aliquando contingit aliqua duo esse priora naturà respectu alicujus tertij, quorum tamen alterum sit prius naturà respectu alterius, & vera illius causa; ut anima est prior intellectu, & verè illum causat in sententiâ potentias distinguente ab animâ, anima tamen & intellectus sunt priora naturà respectu intellectationis ab utroque productæ. Idem est de oculo & specie impressâ, in eo receptâ, respectu visionis, & sexcentis hujusmodi.

Disputatur hic à multis, utrùm causa in actu primo includat actionem. Hac de re dixi suprâ d. 3. f. 2. n. nono.

X.

## DISPUTATIO XXI.

### De mutuâ prioritate.

#### SECTIO PRIMA.

Utrum causa possint esse sibi invicem causa.

efficientis, dum dicit causas esse sibi invicem causas, intelligi solum debet loqui de causâ finali, & efficiente: per quod solvitur quiddam afferunt contrarij de auctoritate Aristotelis.

Dico secundò: non possunt duæ causæ invicem se primò producere, seu dare sibi primum esse. Ita P. Hurt. hic d. 8. f. 8. n. 158. & alij citari n. 2. Ratio est primò, quia si utraque sit causa sui invicè, ergo sunt priores sibi naturâ, cum juxta Aristotelem & Philosophos, causa semper sit naturâ prior effectu, sed non possunt esse invicem priores naturâ, ergo. Probatur minor, prioritas naturæ, ut suprâ vidimus ex Aristotele, in eo sita est, ut id quod est prius naturâ altero, sit independens ab illo à priori, seu ut ab influente, sed hoc consistere nequit si effectus in illud vicissim quoad primum esse influat, ergo.

VI.

Non possunt due cause mutuo se primò producere.

Secundò probatur, prius est esse quàm operari, ergo prior est ignis A actione quâ producit ignem B, ergo à fortiori est prior actione profuente ab igne B, cum entitas ignis B sit prior causalitate ab ipsâ procedente, sed nullus effectus potest esse prior causalitate quâ producit, ergo non possunt duæ causæ esse sibi invicem causæ, quia tunc sequeretur unamquamque priorem fore causalitate, quâ producit, cum debeant esse priores sibi invicem ut operantibus, & consequenter prius operarentur quàm essent, cum prius operarentur quàm producerentur, si essent priores actione quâ producuntur.

VII.

Prius esse debet res, quàm operetur.

Dices; probare hæc, non posse causas esse sibi invicem causas in eodem genere, duas ex.g. causas efficientes, non tamen in diverso, ut causam efficientem & materialem. Contrâ, tam probant contra mutuam causalitatem in diverso genere, quàm in eodem; nam esse prius in quocunque genere causæ, est esse aptum ad agendum, ergo præsupponitur esse ante illud quod producit, ergo ante illius causalitatem, ergo non accipit primum esse per causalitatem ab illo profluentem, nam alioqui non præsupponeretur ad illud, ergo idem est de quocunque genere causæ.

VIII.

Idem est de diverso genere causæ.

Urgebis, cum causæ in diverso genere causæ se producant, dant sibi diversum esse, ergo quoad unum esse potest causa efficiens præsupponi ad materialem, & quoad aliud materialis ad efficientem. Nego antecedens, idem enim & indivisibile esse dant sibi invicem, & à se mutuo accipiunt; quod proinde, indivisibile cum sit, non potest præsupponi ad causam sui productivam, cum tunc effectus esset in rerum naturâ prius suâ causâ.

IX.

Idem est esse in quocunque genere causæ producuntur.

Tertio probatur, & est explicatio rationis præcedentis:

Bb 2

dentis:

IX. *Quadam sunt priora naturâ solum in ordine ad unum verum.*  
non in ordine ad se invicem, sed in ordine ad aliquod tertium, ut præmissæ in ordine ad conclusionem, duo homines simul conjuncti ad portandum idem pondus, licet hi dici non possint simul naturâ positivè in ordine ad se, sed solum negativè, id est, quod neuter sit prior alio, cum neuter ab alio dependeat. Dicit ergo commodius possunt hæc & hujusmodi non simpliciter simul naturâ, sed simul priora naturâ, nempe priora naturâ respectu effectûs,

I. Prima sententia est affirmativa: ita Vasq. 1. 2. d. 211. c. 3. n. 11. & c. 4. n. 25. & fusè c. 6. Suar. d. 27. Met. sec. 2. n. 4. & 5. Conimb. 1. 2. Phys. c. 7. q. 9. a. 2. Ruvius 1. 2. Phy. tra. 8. q. 2. & alij, saltem quoad causalitatem in diverso genere.

II. Secunda sententia negat posse causas esse sibi invicem causas, sive in eodem, sive in diverso genere: ita Erice 1. p. d. 16. c. 12. n. 101. Hurt. d. 8. Phy. sec. 8. n. 158. Arriaga d. 7. Phy. sec. 8. n. 96. & 102. Oviedo con. 7. Phy. p. 8. n. 3. & p. 9. n. 4. estque communis inter recentiores opinio.

III. Notandum primò, quæstionem esse de eodem instante reali, nam de diversis instantibus, seu successivè, non videtur dubium: nil enim repugnare videtur quin ignis B qui in instante A productus fuit ab igne A, postea in instante C conservet ignem A, à quo primò fuit productus, modò tamen in illo instante ignis B aliunde conservetur, & non ab igne A.

IV. Notandum secundò, sermonem esse de causis physicis physicè influentibus, ut de efficiente & materiali, non de intentionalibus, seu quæ operantur in quantum sunt in mente, & apprehenduntur, quales sunt causa finalis & exemplaris; hæc enim sicut non requirunt omnino existentiam ad causandum, ita, ut in apprehensione seu esse intentionali, possunt esse causa sui in esse physico, id est, possunt mente conceptæ movere causam efficientem, ut eas producat, & acquirat, ut de agricola semen terræ mandante, & aliis constat.

V. Dico primò: causam finalem & efficientem non repugnare quominus sint sibi invicem causæ, ut deambulatio est causa valetudinis, & valetudo deambulationis, finalis valetudo, deambulatio efficiens. Hoc & nihil aliud vult Aristoteles 1. Phy. c. 3. tex. 30. dum ait: sunt præterea, quæ mutuo sunt sibi causæ ut exercitium est causa bonæ valetudinis, & hæc causa exercitij, at non eodem modo, sed hæc ut finis, illud ut principium motus. His, inquam, verbis solum astruit Aristoteles mutuam prioritatem, & dependentiam inter causam finalem, & efficientem, quarum illa est prior in intentione, seu ut apprehensa, hæc in executione, seu physicè. Cum ergo nullus alterius causæ adhibeat exemplum Aristoteles præterquam finalis, & R. P. Th. Comptoni Philosophia.



*Implicat ut effectus ingrediatur ab eodem primo productivum sui.*

dentis : non potest effectus productus in statu actualitatis ingredi actum primum physicum productivum sui, ut videtur lumine naturæ notant, sed si darentur duæ causæ sibi invicem causæ, effectus ingrederetur actum primum physicum constitutivum sui, ergo. Major videtur certa, nam alioquin idem esset productivum sui quoad primum esse, quod in terminis implicat. Minor probatur, agens omne physicum agit in quantum physicè existens, ergo includit existentiam essentialiter, ergo supponitur existens, ergo extra omnes suas causas, ergo in illo priori præsupponuntur omnes ejus causæ, sed altera causa est ipse effectus, si duæ causæ sint sibi invicem causæ, ergo vel ingreditur, vel, quod magis est, supponitur ad principium productivum sui.

**XI.**  
*Nec divinitus dari potest mutua causalitas.*

Quæ hæcenus dicta sunt, probant, ne quidem divinitus dari posse mutua causalitatem, ita scilicet, ut duæ res se vel primo instante quoad primum esse producant, vel secundo instante conservent : omnes enim rationes adductæ urgent æqualiter in ordine ad divinam potentiam. Utrum autem possint duo se quoad secundum esse producere, vel conservare, videbitur sec. tertiâ.

**XII.**  
*Quicquid movetur, ab alio movetur.*

Quartò probant aliqui, quia concessâ mutua causalitate quoad primum esse, sequeretur non posse probari Deum, seu primum motorem, cum hinc communiter probetur, quòd omne quod movetur, ab alio moveatur, unde arguitur debere aliquando perveniri ad primum aliquem motorem qui non moveatur ab alio, admisâ autem hac mutua causalitate, non tenet prior argumentatio, res enim omnes possent se invicem quoad primum esse producere & conservare, sicque non esset opus investigare ulterius primam aliquam causam, quæ movens alia, ab iis vicissim non moveatur. Hoc argumentum probabile est, videtur tamen responderi posse, licet duæ causæ possint se mutuo producere quoad primum esse, neutram tamen habere potentiam operandi nisi dependentes à Causâ primâ, quæ debeat essentialiter supponi, & utramque juvare ad se mutuo ex nihilo extrahendum, quæ non præsuppositâ, nihil agere possent.

**SECTIO II.**

*Solvuntur objectiones pro mutua prioritate.*

**I.**  
*Mens s. Thomæ circa mutua prioritatem.*

**O**bjicies primò Aristotelem, qui asserere videtur causas esse sibi invicem causas. Sed illius mentem declaravimus lect. præcedente, n. 3. Difficilior est explicatio S. Thomæ, qui sæpius ait materiam & formam esse sibi invicem causas. Probabilis tamen illius interpretatio est, solum velle sanctum Doctorem, materiam recipere formam, & formam informare materiam, sicque per hoc duplex munus eas esse invicem causam respectu compositi, non respectu sui, id est, mutuo concurrere ad constitutionem compositi.

**II.**  
*Non datur mutua prioritas inter calorem & formam ignis.*

**O**bjicies secundò; ultimus gradus caloris qui disponit ad formam ignis, producitur ab ipsâ formâ ignis, ergo est prior ipsâ in genere causæ materialis (cum dispositiones teneant se ex parte materiæ) & est posterior eadem formâ in genere causæ efficientis, cum ab illâ efficienter producat. Quod etiam asserit P. Valquez contingere inter gratiam habitualem, & actum contritionis, & alij inter materiam & formam. Sed contra, non potest calor disponere ad formam ignis antequam calor sit, cum prius sit esse quàm disponere, ergo in illo priori habet aliquam causam efficientem, cum sit ens ab alio, ergo non potest produci à formâ ignis, cum prius supponatur

calor esse in subjecto, quàm forma ignis existat. Dices; præsupponi solum materialiter seu in genere causæ materialis. Contra, illud materialiter involvit entitatem illius existentem, ergo verè pro illo priori est illa entitas, non à se, ergo ab aliquâ causâ efficiente, ergo pro illo priori habet aliquam causam efficientem, & sic esse aliquid prius in uno genere arguit prioritatem simpliciter, cum in quocumque genere sit causa, supponatur esse simpliciter, seu esse à parte rei sufficienter ad causandum, ergo non potest causari primò ab eo ad quod præsupponitur.

Dico itaque ultimam dispositionem prærequisite tam ad formam non produci à formâ introductâ, sed ab eadem causâ à qua producuntur reliqui gradus. Ignis enim non semper requirit octo gradus caloris, ut introducat, ut alibi dicam latius.

**O**bjicies tertio; generatio, seu actio eductiva subjectatur materialiter in termino quem producit, ergo terminus efficienter dependet ab illâ, illa materialiter à termino, sicque sunt sibi invicem priores, & posteriores, in diverso genere causæ. Conf. creatio non habet aliud subjectum quàm terminum, ergo ibi saltem dabitur mutua causalitas inter ipsam & terminum.

**A**d argumentum negatur antecedens, solum enim est in termino actio eductiva ut in subjecto adhesionis, seu intimæ affectionis, non sustentationis; subjectum verò sustentationis illius est idem cum subjecto termini, per illum producti. Actio eductiva ex.g. qua calor educitur ex materia ligni, non subjectatur in calore, ut in subjecto sustentationis, sed in materia ligni, in quâ etiam subjectatur calor, quæ terminum, seu calorem sustentat ut quod, actionem ut quo, per actionem enim sustentat terminum. Ad Confirmationem Resp. creationem non esse in ullo subjecto sustentationis, cum sit ratio per quam terminus productus sit independens ab omni subjecto sustentationis, ergo illa est independentia à subjecto sustentationis ut quo, licet essentialiter sit in termino, ut in subjecto adhesionis, & intimæ affectionis, quod tamen nihil facit ad mutua prioritatem.

**O**bjicies quartò; possunt duo in ordine transcendentali pendere à se invicem quoad esse possibile, datur enim secundum nos mutui ordo transcendentalis inter res varias, materia enim pendet à formâ ignis possibili, ita ut illâ implicante implicaret, & forma vicissim implicante materiâ; dari ergo similiter possunt duo quæ se producant invicem physicè & realiter quoad esse actuale, & à se mutuo dependent in existentia.

**R**esp. prædicata illa possible solum esse conditiones concomitantes, quas omnes admittere debent, ut supra ostendi, in corde & cerebro animalis perfecti. Hoc autem non probat dari mutua causalitatem, vel mutua antecedentiam, hæc enim æquè implicat in conditionibus, ac in causis ob rationes sec. præcedente allatas, sed solum probat mutua dependentiam, quam existimo à nemine negari posse.

**D**ices; prioritas naturæ, quæ de facto datur inter causam & effectum, inter solem v.g. & lucem, erat antea possibilis, ergo datur prioritas in esse possibili. Resp. dari prioritatem naturæ in esse possibili, hoc sensu, nempe quòd res illæ conceptæ in esse possibili habeant in se relucentem ordinem quem servare debent à parte rei existentes, concedo itaque hoc sensu consequentiam, nam in materiâ in esse possibili relucet prædicatum hoc, quòd sit semper prior formâ materiali à parte rei, & quòd petat esse causa materialis illius : sicut in potentia visivâ, aut quavis aliâ potentia relucet esse priorem illam suâ actione, non è contra : At verò, quoad ipsum esse possibile

**III.**  
*Ultima dispositio non producit ab igne.*

**IV.**  
*Obj. actio nem eductiva dari in termino.*

**V.**

*Resp. esse in termino, solum ut in subjecto adhesionis.*

**VI.**

**VII.**

*Obj. possunt duo à se invicem pendere in esse possibili.*

**VIII.**

*Resp. prædicata illa possible solum esse conditiones concomitantes.*

**IX.**

*Quo sensu sit prioritas naturæ in esse possibili.*



nulla exercetur prioritas, nec materia prius est possibilis ullâ ratione quàm forma materialis sit possibilis, nec potentia visiva prius est possibilis quàm actualis visio ab ipsâ in statu actualitatis elicienda sit possibilis, nec è contrâ, sed quoad hoc omnia sunt simul. In statu ergo possibilitatis relucet solum prioritas naturæ conditionata, nempe quando existens materia & forma materialis, illa respectu hujus erit subiectum, & naturâ prior.

IX.

Varia experientia pro mutua causalitate.

Objicies quintò varias experientias: primò, murtæ prunæ simul positæ, invicem se fovent. Secundò, manus conjunctæ calorem in se invicem effectivè conservant. Tertio, manus frigidæ mutuâ confricatione incallescunt. Quarto, piper calorem in linguâ producit, & lingua vicissim in pipere, sicque mutuò se calefaciunt. Quintò, duo ligna erecta, quorum alterum alteri innititur, mutuò se sustentant, ergo ibi datur mutua causalitas & prioritas. Sextò, partes minimi naturalis invicem se conservant, separatæ enim statim perirent, ergo &c.

XI.

Satisfit his experientis.

Ad duas primas instantias, Resp. Si ita ponatur casus, ut calor non sit æqualis in utrâque manu, vel prunis illis, partes magis calidæ producent in aliis calorem; si verò æqualis sit in omnibus calor, non alio modo se conservant quàm quòd hoc modo conjunctæ melius se contra agentia extrinseca contraria defendant: *Virtus enim unita fortior*. Deinde, ærem etiam circumfusum magis, & ad majorem distantiam calefaciunt, quo fit ut à frigore circumstante minùs lædantur.

XI.

Motus est causa calor.

Ad tertium Resp. manus sese invicem confricantes mutuò se calefacere per motum duplicem, qui calorem in utraque producit, *motus enim est causa calor*. Id verò præstat motus ille vel rarefaciendo ærem intermedium, vel spiritus vitales in quibusdam partibus manuum excitando, qui ad extimas partes deducti, illas calefaciunt. Ad quartum dico, piper non calefacere linguam per calorem formalem in ipso à linguâ productum, sed per virtualem, in se contentum, lingua verò producit in pipere formalem calorem, sicque non agunt secundum eundem calorem, calor enim qui in pipere producit à linguâ, calorem in linguâ non producit.

XII.

Quomodo duo ligna erecta se sustentant.

Ad quintum dico, duo illa ligna non se mutuò conservare, sed esse invicem conditiones concomitantes, ut utrumque talem habeat situm, utrumque enim nititur occupare locum alterius, & versus illam partem cadere, impeditur verò ab alio, sicque sunt sibi invicem impedimenta, non causæ. Ad ultimum Resp. eodem ferè modo, partes minimi naturalis non in se invicem agere, & conservare hoc sensu, sed solum esse conditiones invicem concomitantes, ut forma minimi naturalis in iis partibus conservetur.

XIII.

Cur dari possint conditiones concomitantes, non causa.

Quæres cur dari possint conditiones mutuò concomitantes, & non pari modo causæ invicem concomitantes? Resp. rationem esse, quia juxta Aristotelem, & Philosophos, omnis causa est naturâ effectû, utpote in naturam à se distinctam realiter influens, unde est implicatio in terminis dicere, causæ respectu sui invicem concomitantes; cum conceptus causæ sit ut naturâ antecedit effectum.

## S E C T I O III.

Possintne elevari due causæ ad se producendum quoad secundum esse.

I.

Possint due causæ se divinitus quoad secundum esse.

Dicendum, nullam esse repugnantiam, ut due causæ divinitus mutuò se quoad secundum esse producant. Explico conclusionem: ponamus duos ignes primò produci à solo Deo, per duas actiones

R. P. Th. Comptoni Philosophi.

sibi proprias, & sufficientes ad illos independenter ab omni alio concursu conservandos. In hoc casu dico posse illos ignes in eodem primo instante elevari ad se invicem secundò per duas alias actiones producendos, quæ tamen actiones essentialiter supponunt duas aliquas primas, à quibus ignes illi primò producantur.

Probatur itaque conclusio: nulla est repugnantia ut hoc modo conservati duo ignes se invicem secundò producant, ergo poterunt hoc modo se producere. Antecedens patet, nam tunc pro aliquo priori intelligitur uterque ignis esse completè à parte rei, ergo & esse sufficiens in illo priori ad operandum. Conf. effectus in hoc casu non ingreditur constitutionem principij productivi sui, ut contingeret si duo se invicem primò producerent, ergo. Antecedens probatur, uterque ignis completè intelligitur existens, independenter à se invicem, per aliam actionem præcedentem, ergo ignis A non accipit virtutem qua producit ignem B ab ipso igne B, cum virtus illa ut producat ignem B, non procedat ab igne B, sed à solâ actione Dei productivâ ignis A, independenter à concursu ignis B: sicque eodem modo ignis A produceret ignem B, sive ignis B in illum vicissim influeret. sive non.

Secundò probatur: ut aliquid dicatur prius alio, influere in illud debet independenter ab influxu alterius, sed hic ignis A influit in ignem B independenter à concursu ignis B, & è contrâ ignis B in ignem A independenter à concursu ignis A, nam uterque ad se invicem concurrat dependenter solum à concursu illo primo Dei, qui est independens ab his aliis concursibus, & uterque iste secundus concursus est à se invicem independens, perstaret enim quilibet, altero sublato, ergo hic nulla involvitur implicatio, & consequenter poterunt se invicem secundò producere.

Dices primò; si ignis B producit ab igne A, ergo dependet ab illo, ergo non est independens, nec illo prior. Distinguo primum consequens, ergo dependet ab illo quoad secundum esse, & secundum quid, concedo consequentiam; quoad primum esse, & simpliciter, seu in primo produci, nego: nam simpliciter est ab illo independens, cum eodem modo peristeret, licet ignis A ad illum omnino non concurreret.

Dices secundò; ut res possit operari, debet intelligi extra omnes suas causas, ergo ut ignis A intelligatur potens producere ignem B, debet pro aliquo priori intelligi extra omnes suas causas, sed una ex istis causis, secundum nos, est ipse ignis B, cum ab illo etiam producatur, ut supponimus, ergo ignis B constituit principium productivum sui, cum constituat principium productivum suæ causæ. Resp. distinguendo primum antecedens, ut possit operari, debet intelligi extra omnes causas, à quibus quoad illam operationem dependet, concedo antecedens; à quibus quoad illam operationem non pendet, nego: ignis autem A non dependet, ut operetur, à causalitate ignis B, cum, si ignis B non concurreret, non minùs existeret à parte rei ignis A, & causaret ignem B, quàm modò; in operando enim solum dependet à causalitate seu actione Dei, per quam existeret à parte rei, & operaretur licet ignis B illum non produceret. Ab actione autem Dei ita dependet uterque ignis in esse & operari, ut si illa subtraheretur, uterque ignis periret, nisi alio simili concursu prior actio Dei suppleretur.

Unde ulterius dico, si posset naturaliter dari duplex actio totalis, duos istos ignes, in hoc casu, necessariò se conservaturos invicem pro secundo instante actionis, uterque enim in eo casu, esset aptus ad agendum



dum independenter ab altero, cum inesse, & operari à se invicem non dependant, ergo necessariò agerent in se, cum sint agentia necessaria.

VII. Non sunt priores, & posteriores quoad idem esse.

Dicestertid: sequi fore sibi invicem priores & posteriores. Resp. negando sequelam, ut enim ignis A existat secundò, seu per secundam actionem, non dependet ab igne B ut existente secundò, seu per secundam actionem, nec è contrà, sed solum ab illo ut primò, seu per primam actionem existente.

VIII. Possit esse elevari ad secundò & in suam causam.

Imò, ulterius existimo posse elevari effectum ad producendum secundò causam à qua ipse esse suum accipit, lucem ex. g. ad secundò producendum solem, à quo ipsa primò producebatur. In quibus productionibus hic servatur naturæ ordo: actio primò productiva solis est à solo Deo, & hæc actio in hac ferie actionum de qua hic loquimur, est prima simpliciter, utpote à qua omnes aliæ dependent, & quæ ab iis est independens: deinde sequitur actio qua sol producit lucem: tertid loco actio à luce procedens, quæ secundò producit solem; licet hæc omnes actiones sint in eodem instante reali, & successio non sit temporis, sed naturæ, seu quoad signa rationis.

IX. Secunda hæc duorum invicem productio nihil derogat merito Trinitati.

Dices quartò, si admittatur posse duas causas mutuo se producere secundò, non est ullà ratio unde ostenditur Patrem æternum non posse secundò produci à Filio productò à Patre, par enim hic videtur ratio, atque in luce secundò producente solem, à quo ipsa primò producit. Nego antecedens, licet enim non oriatur repugnantia ex ratione mutue productionis ut sic, oritur tamen ex ratione mutue productionis in Divinis, ubi nulla mutua productio dari potest: cum enim nulla possit dari mutua productio quoad primum esse, sed solum quoad secundum, semper ante secundam productionem supponitur res esse, ac proinde secunda productio naturaliter (in Deo autem nihil fieri potest supernaturaliter, ut supra d. 19. ostendimus) dari non potest, cum foret superflua, utpote quæ supponit terminum suum prius existentem, in Divinis autem nihil potest esse otiosum aut superfluum, ut supra latius d. 16. sect. 2. n. 5.

Quidquid est in Deo est ipsi naturæ.

X. Vtraque secunda actio pendet essentialiter à duabus primis.

Notandum verò, cum duo ignes conservati à Deo, se invicem secundò producant, ablatis actionibus procedentibus à solo Deo, & aliis similibus in earum locum non successis, necessariò cessaturas actiones utriusque ignis in se invicem, cum essentialiter dependant ab utràque illà actione, quæ ignes conservantur, utpote per quas accipiunt primum esse, & virtutem operandi, quibus proinde ablatis amittunt ignes primum esse, & consequenter alia omnia quæ ad primum esse illorum subsequuntur.

XI. Nec possunt causam à se recipere.

Ex his infero, idem esse dicendum de causis mediatis, nempe non posse se invicem causare quoad primum esse; ex. g. si ignis A producat ignem B, & ignis B ignem C, non potest ignis C producere ignem A quoad primum suum esse; nam ignis A, ut agat, debet in illo priori esse extra omnes suas causas, ergo non potest procedere ignis A ab igne C, quippe qui producit tantum in tertio instante, seu signo, cum sit effectus ignis B qui producit ab igne A, & consequenter est illi posterior naturà. Poterit tamen ignis C quoad secundum esse elevari ad productionem ignis A, seu ad illum secundò producendum.

XII. Essent sibi priora & posteriora quoad idem esse.

Dices; non repugnare ut aliqua duo primò se producant, nec enim essent sibi priora & posteriora sub eadem ratione, sed sub diversà, nam ignis A esset prior igne B ut causa ejus, & posterior ut effectus. Sed contrà, quia in illo priori quando intelligitur ignis A potens operari, intelligi debet extra omnes suas causas, & ens ab alio, ergo in illo conceptu

ingreditur actio procedens ab igne B, ergo etiam supponitur ignis B, ergo pro aliquo priori supponitur ignis B existens, antequam operetur ignis A, ergo in illo priori erit ens à se, cum nulla supponatur actio, qua producatur.

SECTIO IV.

Statuuntur variae divisiones causarum.

Dividitur primò causa vulgari illà divisione ex Aristotele desumptà in materialem, formalem, efficientem, & finalem quæ & causa intentionalis dicitur, quia movet in quantum est in intentione seu intellectu quibus à nonnullis additur causa exemplaris, licet ab aliis reducatur ad formalem, de quibus si gillatim postea. Aliis autem nominibus enumerantur hæc quatuor causæ à nonnullis, nempe causa activa, passiva, formalis, & finalis. Secundò dividitur causa in Primam & secundam, illa est Deus, hæc creatura. Tertid, in immediatam, seu proximam, & mediatam seu remotam, quippe quæ per se non concurrat ad effectum, sed per aliquid à se productum de qua divisione dictum est supra; d. 18. s. 2. Quartò in intrinsecam, ut in materiam & formam, & extrinsecam, ut in efficientem & finalem.

I. Causa materialis, formalis, efficiens, & finalis.

Causa prima, & secunda.

Proxima, & remota.

II. Causa physica, & intentionalis.

III. Causa moralis est duplex.

Quintò dividitur causa in causam physicè & realiter influentem, ut sunt efficiens, materialis, & secundum aliquos formalis (quæ proinde realiter existere debent, ut causent) & in influentem solum intentionaliter, & metaphoricè, ut est causa aliqua moralis, & omnis finalis, quæ influunt solum ut apprehenduntur.

Causa verò moralis duplex est, moralis physica, & moralis quæ propriè dicitur talis: illa est causa omnis libera, ut voluntas, quæ revera est quid physicum, physicè & realiter producens suos actus: sicut ergo causa necessaria vocatur naturalis, ita causa libera vocatur moralis. Causa purè moralis est quæ per se non insluit in effectum, in prudentum tamen æstimatione illi ascribitur effectus, æquè ac si physicè illum produceret, ut si quis suadeat furtum alicui, quod ille postea ex hujus suasu committit: vel si quis canem incitet in viatorem, qui ipsum ex hac incitatione occidit, ille qui suadet & incitat, censetur in prudentum æstimatione causa illius furti, & cædis, perinde enim se habet in prudenti hominum æstimatione, atque si ipse per se abstulisset pecuniam, aut hominem occidisset: causa autem physica furti est fur, causa physica cædis, canis.

IV. Causa totalis, & partialis.

Sextò dividitur in causam totalem & partialem. Totalis est vel causa aliqua simplex, vel complexum causarum sufficiens ad effectum ex se fundum: partialis è contrà, est illa, quæ sufficientes ex se vires non habet ad effectum producendum, sed ad hoc eget alterius adminiculo, & aliam concausam postulat. Sic oculus connotat speciem impressam immisam ab objecto, estque solum partialis causa visionis. Causa item activa seu efficiens naturalis respicit passivam, seu subjectum ut concausam, cum creare non possit. Causa etiam secunda efficiens hoc modo respicit primam. In causis intrinsecis, materia ut causa partialis compositi respicit formam ut partem, & è contrà.

V. Causa totalis in uno, & in omni genere.

Causa totalis vel est totalis in omni genere causæ, ad quam proinde constituendam saltem in causis naturaliter agentibus concurrunt omnia quatuor causarum genera: vel est totalis solum in uno genere, efficientis scilicet, aut materialis. Sed de causa totali & partiali, seu adæquatà & inadæquatà plura infra d. 24. s. 3.



VI. Septimò dividitur causa in univocam, quæ in prædicatis convenit cum effectu, ut cum ignis producit ignem, calor calorem &c. & Equivocam, quando scilicet causa in prædicatis est dissimilis affectui, ut cum Deus producit Angelum, sol lucem &c.

VII. Octavò, in causam per se, & per accidens: causa per se illa dicitur, quæ necessaria est ad aliquem effectum, ut peritia ædificandi in architecto respectu domus ædificandæ; & hoc sensu dici potest substantia aquæ causa per se frigoris in manu; à frigiditate illius aquæ producti, licet aqua ipsa ad frigoris illius productionem immediatè non concurrat; quia nimirum per se, seu necessariò requiritur ad conservationem frigoris in aquâ, & sic, saltem mediatè, concurrat ad

frigus illud producendum. Causa per accidens est, quæ concomitantè solum se habet ad effectum, nec ullo modo ad eum est necessaria; ut in exemplo Aristotelis, medicus & musicus ædificant per accidens, quia licet architectus nec esset artis medicæ peritus, nec musicæ; adhuc æquè perfectè ædificaret, ac modò; unde musica & medicina sunt in ipso causa per accidens ædificij, quia ad ædificationem omnino non concurrunt.

Musicus ædificat per accidens.

Nonò tandem dividitur causâ in principalem, quæ primariò in effectum aliquem influit, & instrumentalem; quæ solum concurrat secundariò; ut artifex est causa principalis; ferra, securis, malleus, instrumentales. Qua de re plura infra d. 2. 4. s. 2.

VIII. Causa principalis, & instrumentalis.

DISPUTATIO XXII.

De causâ materiali & formali.

SECTIO PRIMA.

In quo consistat ratio causæ materialis, & quomodo distinguatur ab efficiente.

I. Hic latè sumitur causa materialis prout idem sonat, ac subiectum, & convenit, non materiæ primæ tantum, sed animæ etiam rationali respectu intellectûs, ac voluntatis, & aliorum accidentium; quæ in se recipit: item Angelo respectu suorum actuum & proprietatum, respectu quorum dici potest aliquo modo causa materialis. Uno verbo, convenit omni subiecto respectu formæ cujuscunque, sive substantialis sive accidentalis, quam in se recipit.

II. Notandum, materiam duplici ratione respicere formam in constitutione cujusvis compositi materialis, ut compartem, & ut aliquo modo effectum. Prima ratio est, cum recipit formam per unionem, & constituit compositum; & hac ratione respicit etiam & recipit animam rationalem, idque licet unio esset creata, cum non minùs verè cum illâ tanquam cum compartem constituat compositum, etiam per unionem creatam, quàm cum formâ materiali & unionis generatis, & educis de illius potentiâ. Alia ratio, qua materia respicit formam, est tanquam subiectum sustentationis, & hoc modo formas tantum materiales respicit, ad quas concurrat, materialiter in eas influendo. De utrâque ratione aliquid obiter dicendum.

III. Dico primò: materia prout est subiectum sustentationis formarum materialium, exercet veram & rigorosam rationem causæ respectu illarum. Ita Philosophi communiter. Probat, verè enim influit esse in aliud, materialiter siquidem influit in formas, realiter à materiâ distinctas, ergo materia est propriè causa respectu illarum, cum hic sit conceptus, & definitio causæ.

IV. Quòd verò materia verè influat in formas materiales, videtur certum, tum quia generantur, & educuntur ex potentia materiæ, ergo materia ad illas concurrat; tum quia aliter se habet materia erga illas, quàm erga animam rationalem, quam tantum recipit informativè, sed per unionem, ergo formæ materiales peculiari modo pendent à materiâ. Deinde, dicuntur præcontineri in materiâ, quod tamen animæ rationali non competit; licet enim reluceat anima rationalis in materiâ, tanquam compars in

comparte, ut supra diximus, non tamen tanquam effectus in causâ, seu tanquam præcontentum in præcontinente. Probat, primò, actio generativa & creativa distinguuntur essentialiter, sed non ex eo quòd dependeat actio generativa à materiâ tanquam à subiecto tantum denominationis, hoc enim competit creationi, quæ est in termino tanquam in subiecto denominationis, & intimæ affectionis, ergo quod ab eâ dependeat, tanquam ab influente. Probat, secundò, alioqui formæ omnes materiales, & accidentia existere naturaliter possent separata, & independentè à subiecto, sicut anima rationalis, quod tamen ab omnibus negatur, dicunt enim Deum concursu miraculoso conservare accidentia Eucharistiæ, supplendo scilicet concursum materiæ.

Hinc deduco, compositi ut compositi causam, hoc sensu, esse solam materiam, non formam. Ratio desumitur ex dictis lib. 1. nam compositum, ut compositum reduplicat compositionem seu unionem; cum ergo juxta nos sola materia sit subiectum sustentationis respectu unionis, materia sola erit propriè causa compositi, ut compositum est.

V. Quò sensu materia sit sola causa compositi.

Dico secundò; tam materia quàm forma possunt dici causæ respectu compositi. Probat, nam licet influere, propriè loquendo, significet influxum aliquem, seu causalitatem secundariam procedentem à re, quæ est causa (qualis est influxus, seu actio procedens à causâ efficiente, & passio procedens à causâ materiali) possunt tamen tam materia, quàm forma dici aliquo modo influere, & dare esse composito per unionem, quâ quasi influunt, & communicant se composito, & dant se illi partes constitutivas.

VI. Tam materia, quàm forma sunt causa compositi.

Dices; ergo Deus Pater (idem est de aliis Personis) erit causa Trinitatis. Nego consequentiam, quis enim non videt latam disparitatem inter materiam & formam respectu compositi, & personam aliquam Divinam respectu Trinitatis, cum materia & forma tanquam entia essentialiter incompleta ordinentur ad constitutionem unius per se. Pater autem in Divinis non est quid incompletum, ut est manifestum.

VII. Persona Divina non sine causa Trinitatis.

Nec ullus dicit tres Divinas Personas coalescere ad faciendum unum per se, seu constituere unum compositum, sicut coalescunt & constituunt materia & forma. Eo tamen modo, quo Trinitas est unum, non in naturâ, sed ut tres Divinæ Personæ constituunt numerum ternarium: admitti potest Patrem

VIII. Sunt tamen partes illius constitutivæ.